



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Lvgdvnensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69709)

Contigit enim sepius vt eodem tempore diuersis in templis, sex concionatores verbum diuinum explicarent, idque hominũ corona tam frequenter, vt in vna concione quatuor auditorum millia censerentur. Multi, in fide nutantes, confirmati. Alij, in auitæ Religionis principijs sanius edocti. Non pauci ad sacram mensam diebus solemnioribus, & initio mensis frequentandam pellecti; innumeri à carniũ vsu & esu, tempore vetito abducti. Quinque Ecclesiæ redditu, Caluini hæresis eiurata: ac multo sane plures ad fidem Catholicam rediissent, nisi nostros ad eundem & cum eis familiariter colloquendi, cum interminatione grauissima multæ, & libello Rupellæ impresso, ministeriis suis potestatem ademissent. Apud Moniales sepius conciones habitæ; iisdemque in confessionibus excipiendis aures, maximo earum fructu & oblectatione commodatæ. Hæc initia, quæ si Deus promouet, amplissimus in hac Prouincia excutendi campus patebit.



P R O V I N C I A  
L V G D V N E N S I S.

**H**VIVS Prouinciæ Sociorum numerus cum in literis non habeatur, nec certus possit ex illis colligi, à nobis prætermittitur: interim quos quædam Collegia recensent, in eisdem Collegijs proponemus, quæ omnino sex numerantur, præter vnã Residentiam Albenacensem; nimirum Collegium Lugdunense; Anenionense; Turnonense;

nense; Camberiente; Anitiense; & Biterrense.

COLLEGIUM  
LVGDVNENSE.

**N**VMERANTVR in hoc Collegio Socii duo & quadraginta; in dies augetur civium consuetudo cum nostris, conciones enim, quæ hic in templo nostro habentur, tanta hominum frequentia, atque adeo Procerum splendore celebrantur, ut præ ædis angustijs plures excludantur. Tres item è nostris in alienis paræcijs concionantur. Confitentium tantus fuit numerus per iubilæi tempus, ut Patribus vix curandis corporibus tempus suppeteret, & confessiones ad multam noctem ducerentur. A sordido fanoris quæstu abducti non pauci; libidinum scopulis extracti nonnulli: Calvinismo renuntiarunt multi: in ijs iam duo grandiores natu, in communis parentis Ecclesiæ gremio repuerascere non erubuerunt. Quorum alter nominis claritate spectatus, testatam apud nos reliquit suam pietatem; nam cum Pater qui in primario vrbis pulpito conciones habebat, priuatim eius errores alios ex alijs, sola duntaxat sacrarum literarum autoritate deduxisset, tanto abreptus est pœnitudinis ac doloris æstu, ut lacrymabundus (id ætatis vir) in collum Patris inuaserit, arctèque complexus gratias egerit, quod discussa errorum caligine, in mentem, ante tenebri-  
cosam, veritatis solem reduxerit. Accessere alij duo similem ob causam, dispari tamen ætate adolescentescens, qui se complexu parentum conspectu-  
que patriæ eripuerunt, ut cœlum raperent, nec

O o 3 varijs

varjs exerciti casibus, quicquam propterea de suscepto vitæ consilio remiserunt: nam sub id tempus non contemnenda pecunia nefariè spoliati ac proditi sunt. Verum hanc iacturam prolixè ac benignè compensarunt Catholici, vnus quippe inuentus est tanto pietatis ardore succensus, vt thoracem ipsum exueret, quem alteri eorum condonaret.

Nec obscurior fuit Dei benignitas in altero quodam iuvene, qui quidem quâ demonis impulsu, quâ solertis ingenij perspicacitate, eo impietatis deuenerat, vt nullum fidei caput esset, quod vel hæretica contumacia non impugnaret, vel ab eo more Academico assensum non sustineret; sed exultantis adolescentis proteruitate fracta, tanta postmodum consecuta est mutatio, vt frequens modò in sacram mensam veniat, quam ne semel quidem in anno prius adiret, atque adeo religiose vitæ consilia agitet, quam dentatis non ita prius sermonibus laceraret. Adolescens quidam Societatis candidatus, nescio qua animi leuitate vel impatientiæ impetu elatus, in alium ordinem deriuatis cogitationibus, extemplo admittitur, itidemque emittitur: Ad tertium subinde se transfert, verum è cauea erumpit. Interea in apertam omnium flagitiorum licentiam præceps ruit, dispersa dissipataque mente varias circumcurfat regiones, atque ad extremam inopiam demum deuoluitur. Tandem in Collegium, ex alto tempestatum velut in littus eiectus, Patris sibi alias noti copiam postulat. Ille vt hominem vidit tanto corporis pudore, & animi squalore obsitū horruit, tum acerbius increpat, diuinæque ultionis minas denuntiat. Homo, qui exercitatione vsuque peccandi per-

percalluisset, nihil in animum eorum admittebat, imo subiiciebat, si patentēs & hiantes inferorum fauces videret, sibi certum esse prius eo corpus animumque deuoluere, quàm ad sacerdotis pedes accidere; multa hinc inde altercatione habita, diuina demum peruenit misericordia, criminum commentarios è sinu expromit, quos totos sex annos præ pudore compresserat, ex ærarijs Ecclesiæ diris omnibus deuotus eximitur, digrediens à Patre confirmauit, se numquam quietem reperisse, ex quo Societatis ineundæ ardor deserbuerit; addebat etiã omnes suas ex illo fonte manasse calamitates, & vero manaturas ni Deus auerteret, iam tunc quidem æquiore animo se esse quàm antea, sed tamen se illo exulceratæ mentis angore ac solitudine perpetuò stimulari.

VERE adulto Archipræsul Lugdunensis Regij Cancellarij filius, tanto patre certè dignissimus, urbem suam tum primùm inuit, varioque Emblemata, ænigmate, dramate, & prandio à nobis exceptus est, magna erga nos amoris sui significatione, & grata visendi illius apparatus oblectatione. Affecta porrò æstate Cardinalis de Sourdis, Lugduno transiēs in Collegiũ illicò diuertit, quẽ multiplici itè carmine honestauimus, & quod est in viro id authoritatis & dignitatis sane mirabile, nullum cum nostris, nisi de rebus omnino pijs sermonem intulit, tanto insuper cum pietatis sensu, vt semper ex oratorio res diuinas commentatus, vel ex sacrario recens sacris operatus redire videretur. Accidit eodẽ pene tempore, vt frater noster, penes quem procurandarum temporalium rerum cura est, Parisios allegatus, vt nobis caueret, in lethalem inibi morbum, inciderit. Damnata medi-

corum spe, de statione huius vitæ decedendum ei esse admonetur, ob id ipsum plenaria Societatis indulgentia, quasi tessera donatur. Denique haud procul à mortis confinio aberat; cum subit animus grata & salubris illa recordatio, se opera & precibus P. Bartholomæi de Guillelmis primū desideria melioris frugis cōcepisse, tū Societate cogitasse. Is autem Bartholomæus erat aperti, & simplicis candoris amantissimus, primigenij illius, quem hauserat in primo Religionis ingressu, arboris retinentissimus, animarum salutis egregie studiosus, Catechisticae lectioni mire deditus; hunc igitur appellat æger, huius opem implorat, nec vana preces, nec obscura curatio: facta subito est perditæ valetudinis ad meliorem spem inclinatio. Iam vero commoda valetudine florens luce pallidit, se duplici beneficio obstrictum esse Parisi, animæ sanitatis tū primū redditæ, cū vario cogitationū æstu fluctuaret in sæculo; & nūc incolumitatis restitutæ, cū animus in grato Societatis in Galliam reuocata, vultu atque oculis acquiescit.

D V A nouæ prælectiones hoc anno adiectæ, altera quidem positiuæ, altera mathematicarum, secundum etiam philosophiæ curriculum in initum. Conuictorum contubernium auctum. Societatem ingressi sunt Lugdunenses aliquot, impetrato parentum consensu, qui se lapsu temporis æquos præstiterunt, dempto vno, qui obstinatius in proposito obfirmatus hæsit, vt profundam diuini consilij altitudinem, non modo integritatem nostram redderet illustriorem; nam dum Parisios cogitat, nobis veluti plagiaris litis intendendæ gratia, lethifero morbo correptus, inanes suas cogitationes in medio spatio frangi aduentu mortis sensit, ob-

stupe-

stupescere tota civitate. Qui si nefaria sua consilia ad exitum auxisset & cumulasset, verendum nobis fuisset, ne scatebrarum fonticulos obstruxisset, unde innumerabilium adolescentum ex toto eo tractu, qui Parisiensis Curiae nutum intuetur, riuuli derivati, ductique, Societatis campos irrigunt; quippe qui id maxime pensi haberet, ut Senatusconsultum perscriberetur, ne imposterum liberos, inuitis parentibus, ad nostrum institutum adiungere nobis liceret. Et certe causam obtinisset.

VIENNAM & Molinas iam superiore anno deductam coloniam amplificauimus, in quibus quinque è nostris hominibus magno cum fructu & animarum salute versantur. Molinis hoc dignum literis accidit. Erat lymphatus quidam Rupellanus, pragmaticus, Calvinista. hic iam à septem ipsis mensibus è potestate mentis, exiuerat; qui varijs peragratis urbibus, Dei ductu & instinctu certum quoddam oppidum tenuit, ubi nobilis matrona vicem eius miserata, eum adhortari institit, ut sanctos Maiulum & Odillum compellaret, ad eorumque reliquias, quæ sexto ab urbe Molinensi lapide in cœnobio Benedictino seruantur, supplex accederet: ille attollere cachinnos; mulier, quæ nihil suspicaretur de hæresi, addere minas, & Christi effigiem in cruce pendentis proponere; homo, qui iam informatum, anticipatumque odium in mente haberet, imaginem affligere, cominuere, dissipare. Ne multa, nesciens ad eos ipsos Sanctos ducitur, ut per eos ad Christum sciens adduceretur: ab eis sanitate flagitat, sed quasi suo iure, & vero minis intentatis: Templum infano furibundi hominis boatu percerepat. Accurrunt cœnobitæ, demonstrant si modestius, & animo se ad fidem Romanæ Ecclesiæ appli-

appli-

applicandi ageret, quod ageret, fore ut morbo leuaretur: tum nullo responso edito discessit à sacello, sed nequaquã a se. Ecce tibi post vnam septimanam bene mane redit, coram sacro Diuorum tumulo procumbit in genua, fessum labore corpus arctior complectitur somnus, multa secundã quietem se illi species offerunt, euigilat, sese recipit, se sanã mentis, & sanã clamat esse Religionis. Triduo post Benedictinus ipse Prior ad P. nostrum Molinas deduxit, tanti miraculi fidem faciens. Inibi obsoleta & affecta mens, generali corius vitã repetita confessione, ritè lustratur, & sacrilegi erroris sacris illigata execrationibus liberatur.

## C O L L E G I V M A V E N I O N E N S E.

**I**N Collegio Auenionensi Socij censentur vnus & septuaginta. Ex his Sacerdotes viginti septẽ, Scholastici viginti tres, reliqui domesticis munij occupati. Virorum huiusce Ciuitatis principum, mira in Societatem benevolentia. Illustrissimus Prolegatus statim ab inito magistratu, sacris in templo nostro primum operatus est: die Circumcisionis sanctissimum Sacramentum populo adorandum exposuit; sæpissime vespertinis precibus interest. Et cum hic annus partim fœdus duorum summorum Pontificum morte, partim lætus duorum creatione extiterit, noluit (cum proceribus Ciuitatis) quosquam præter nostros, pro more institutoque solemnes de illis orationes habere: Ergo à nostris bimestri spatio quatuor habitæ



habitæ: gratulatoriæ duæ pro fœlici Gregorij XIII. & Pauli V. inauguratione: funebres duæ pro lugubri Clementis VIII. & Gregorij XIII. occafu. Omnes magnò tum fenfu, tum Ciuitatis approbatione exceptæ. Accessit eiuſdem Illuſtriſſimi Prolegati beneuolentiæ beneficentia: Nam fœpius apud nos prandit perinſigni liberalitate, & præter cetera, quadringentos quinquaginta nummos aureos in ſcholarum ædificationem largitus eſt.

I D E M amor eademque liberalitas D. Archiepiſcopi. At D. Ludouicus Bellus, Prothonotarius Apoſtolicus, Vicarius Generalis, Auditor Rotæ, nouis beneficijs Societatem ornare non deſiuit. Hoc enim anno, hac ipſa in vrbe peramcœnum viridarium, vbi amplæ ædes ad confirmandam ægrorum valetudinem, proprio ære nobis comparauit.

V E R V M quoniam haud æquum videbatur, ſcholas remque familiarem laxari, noſtro ſuis in anguſtijs manente templo: præter ſacram ſupellectilem multis in rebus piorum liberalitate non mediocriter auctam, maximè vero duabus veſtibus Attalicis trecentum aureorum æſtimatione; hæc, vti credimus, Reuerendiſſimo Cauillacenſium Epifcopo diuinitus immiſſa cogitatio; Offendit ille aliquando P. Rectorem, habitoque de rebus pijs colloquio, maxime vero de pecunijs recte atque Chriſtianè collocandis; illico, cum nihil antea cogitaſſet, ſe Eccleſiã nobis excitaturũ, & ad id quingentos aureos quotannis daturum recepit. Verum, quæ immortalis Dei benignitas, illud accidit, quod è veſtigio ferme, poſt tam inſignem rerum ſuarum in Deum effuſionem, diuinum

num

num numen eadem liberalitate sese in illum vicissim effuderit. Nam illo nec sperante nec cogitante, totidem aurei nummi in annuos reditus obtrigerunt: quos deinde munificus Præsul, quasi liberalitate cum diuina liberalitate decertans, propria syngrapha accito Tabellione, P. Rectori ad fidem exoluendam assignauit. Atque ita speramus tum templi, tum Scholarum noua propediem iacturam iri fundamenta.

E T scholæ quidem lectissima iuuentute florentissimæ, etsi omnibus in locis restituta Societas, tamen ad mille quingentos censent Auditores, quotidieque numerus amplificatur. Ex his Theologicā laureā quinque, Philosophicā viginti tres: Baccalaureatum viginti quatuor, thesibus primo publice propugnatis, assecuti. Magnum his superioribus scholis ornamentum attulerunt, Reuerendissimi Domini, Abbas generalis ordinis sancti Ruffi, & designatus Episcopus Sistrariensis, quorum ille auditor Theologiæ, hic Philosophiæ, vterque mirabili pietate, grauitate, diligentia.

A T humaniores litteræ Nonis iunijs, per magnifica Henricea, Henrico IV. Christianissimo Regi, publicè posuerunt, Prostabant illa in maxima scholarum area. Vrbs tota ad id spectaculum sese effudit, omnibus certatim Regem Regisque Paranympfos collaudantibus. Quin & Christianissimus Rex ijs auditis, litteras propria manu subscriptas ad P. Rectorem dedit, quibus rem sibi gratissimam extitisse testabatur, plenamque animi grati beneuolentiam innuebat.

N E Q V E vero his ingeniorum monumentis adolefcentum nostrorum indoles tantum enituit, sed etiā virtutis existimatione. Nam præter quam  
quod

quod illa admodum flexibilis, & ad omnem virtutis satum excipiendum paratissima, octodecim varijs religionum ordinum familijs se consecraverunt, è quibus tredecim nomina Societati dedere; pluresque eadem desideria conceperunt, varijs in ordinibus illa quandoque parituri.

Hoc vix vnus nobilissima oriundus profapia, sed hæreticâ, cum à Patre, à quo errorem suxerat, nescio quam ob causam, nostras ad scholas eâ missus esset conditione, ne priuatis colloquijs, nostri de rebus fidei cum illo agerent: vix tribus euolutis mensibus P. Rectorem adit, omninoque de abiuranda hæresi, esse sibi constiturû, asseuerat. Interrogatus vnde tam repentina voluntatis mutatio: grauiter compositæque respondit. Iesuitarum modestia, mi Pater, & celebris templorum Auenionensium cultus, quarum rerum ne vestigium quidem apud nostros, me perpetuum, adiuuante Deo, Romanæ fidei clientem asserent. Sic enim mihi persuasi tantâ tantorum virorum modestiam, tantumque in Superos cultum, non posse vlla errorum labe inquinari. Verum quia mihi à Patris parentumque authoritate valde vereor, qui omnes Calviniani dogmatis acerrimi sectatores: statutum mihi, si nulla commodior ratio sese offerat, inter Melitenses equites potius aggregari, aut aliud quidlibet tentare, quam ad Patrem parentesque remeare.

At nihil est quod scholasticorum omnium pietatem ita foueat & inflammet, atque B. Virginis congregationes, in quibus omnibus solita tum pietatis, tum charitatis, aliarumque virtutum, quibus Christianum adolescentem ornatum esse par est, feruent officia. Et maior quidem quæ Virgini

gini conceptæ dicata est, ex vetere domicilio in nouum, quod hoc anno à fundamētis excitatum, demigravit. Hoc igitur in Sodalitio præter scholasticos ætate prouectiores, viri principes totius vr̄bis censentur, illudque vni dignum memoria accidit. Sodalis quidam impiam peruicacis hæretici doctrinam acriter confutarat: Hic simulata amicitia cum illo in gratiam redijt; tum, caprata occasione, ter illum ferro appetere tentauit: impia tamen manus, Beatæ Virginis ope, ter compressa. Tanti beneficij causam, in renouatam eo die recitandi Rosarij consuetudinem, quam ab aliquot diebus intermiserat, Parthenius refert.

M I N O R vero quæ sub Virginis Annuntiatæ tutela militat, adolecentes habet spectato pudore insignique castimonia conspicuos. Horum vnus missam ad se noctu procacissimam mulierem pugnis calcibus & vociferationibus abegit. Alij duo varios dæmonis insultus, ad sanctissimæ matris inuocationem eluserunt. Quartus denique cum ardentissima febre tertio Kal. Aug. æstualet, B. P. Ignatij in clamato nomine, votû Societatis ineundæ, si conualesceret, emisit: sequenti die, quo uicundissima B. P. memoria reolebatur, omni ægritudine depulsa, sanitati est restitutus.

HÆc domi & in vr̄be. Quæ sequuntur foris gesta. Septē circiter è nostris in vicinas Oxitanæ, Prouinciæque vr̄bes dimissi, non mediocriter rem Christianam adiuuetunt. Nam præter odia inueterata, pactiones iniquas, prauas consuetudines vel sublata, vel imminutas, doctrinamque Christianam non solum pueris, sed etiam grandioribus insigni cum fructu traditam, aliaque id genus: octo & sexaginta hæresim abiurarunt, & ad Christianæ

stianæ religionis castra redierunt. Nemausi oppido frequentissimo, & magna ex parte Caluinianorum peste infami, hæreticis etiam inspectantibus, dies festi, opera nostrorū, publice iam coluntur. At in quodam Prouinciæ oppido, Luc indigenæ appellant, cum hæreticus ex condicō, de vera Ecclesia cum Sacerdote nostro disputationem inuissit, ecce tibi dum ardentius in fidei nostræ mysteria debacchatur, exanimis in terram extemplo corruit, omnibus qui tum aderant, non mediore terrore percussis. At ille tum à Patre, tum ab alijs, qui ad disputationem acciti fuerāt erectus, & animatus, vt ad se redijt, quasi ex putida stomachi voragine omnia non egressisset, reliquias furoris dum parat euomere, vox interclusis faucibus homini vesano substitit, tandemque vtcunque respirans, vltius se non posse progredi confessus est. Pater, vt omnes tanto spectaculo vidit attonitos, hominem in Ecclesiam deduci iubet, ibique tum Catholicis tum hæreticis audientibus, habita de vera Ecclesia concione, illos quidem in vera fide magis atque magis confirmavit, hos vero ita commouit, vt multi de errore abdicando cogitarint.

DRAGVINIANI cum longa siccitas (ea fuit quinque circiter mensium) alimenta frugibus denegasset: plures, authore nostro Sacerdote, indicte supplicationes, addita solemnibus Litaniarum B. Virginis modulatione, quod ibi nouum & insolens fuit. Prima igitur supplicatione sicco ardentique cælo obita, vix Pater concioni finem imposuerat, cum tanta vis imbrium repente ingruit, vt nemo illam supplicationis pompam, litaniarumque modulationem, Deo Beatæque Virgini gratissimam extitisse dubitarit.

P o-

POSTREMO Paternis, vbi noster Prioratus, certatum verni ieiunij tempore cum odijs quorundam ciuium, qui à paucis prætextu cuiusdam litis, Prioratus ergo susceptæ, in Iesuitarum nomen acrius concitati, quasi coniuratione facta constituerant nostrorum concionibus se nunquam interfuturos. Quod non modo initio præstiterunt omnes, paucissimis exceptis, quibus maior auctoritas, sed etiam larvati cuiusdam auspicijs, concionator noster, dum ad Christianam doctrinam, urbem obeundo pueros conuocat, scommatis & ceterijs exceptus est. Verum qui harum turbarum author extiterat, exeunte Quadragesima extinctus est; ante tamen professus, se iusto Dei iudicio, pro temere in nos concitata multitudine, meritas penas luere. At ille larvatus, pro concione veritatem à tota vrbe perijt, atque in patrati facinoris detestationem, comam, quam admodum promissam gerebat, se positurum publicè spondit, publicum crimen publica emendatione diluens. Denique sub extremum Quadragesimæ exacerbati ciuium animi sic emolliti sunt, tantusque fuit ad nostrum audiendum concursus, vt nunquam nec maior, nec frequentior fuisse narretur. In eodem oppido, vis salutationis Angelicæ, in cuiusdam obsessæ exorcismis, mirabilis enituit. Nam ad illius recitationem, quodcumque illa iubebatur, ocys exequabatur: Quæ res ad B. Virginis cultum spectatores non incitauit modo: sed etiam peruicacem hæreticum, perspecta Sacerdotis in dæmonem potestare, ad veram de Sanctissimo Sacramento fidem adegit.

COLLEGIUM  
TURNONENSE.

**T**URNONENSE Collegium vberes ex opera sua qua domi, qua foris nauata fructus tulit. In magnis rei familiaris angustijs, adfuit volente Deo quidam extraneus & alienigena ante domi non visus, qui Patrem Rectorē conuenit, numerauitque illi nummos aureos centum, atque habere in domesticos vsus iussit. Simili supernæ mentis impulsu, misit femina pia, ijsdem in arctis rebus, summam pecuniæ non exiguam; Alia alij pro facultatibus, quibus ita opportunè occursum domesticæ penuriæ incommodis, vt non ingratos summo numini nostrorum labores credere liceat. Crescit in dies Dynastæ Turnonij in nos studium, qui nullum bene merendi de nobis finem facit. Eius munificentia donati centum nummi aurei, quibus aucta libris pernecessarijs bibliotheca, quæ laxata pariter, & ab angustiore, in ampliorem locum, peropportunè translata.

SCHOLÆ vigerunt hoc anno solita lectissimæ iuuentutis frequentia, atque vt numero, ita etiam & pietate. Sed imprimis B. Virginis Sodalitas emicat virtutis studio, & fructuosè in omnibus pietatis officijs exercetur. Hoc argumentum progressionis eius est sanè luculentum, quod non pauci inter eos, qui sacrum hunc cætum sunt professi, etiam Religiosorum familias adiuerint; quatuor Societati nostræ, vnus Minimorum ordini no men dedit, nostrumque institutum qui cogi-

P p tent,

tent, præter eos qui in aliorum se transferre ordines exoptant, quinque & viginti. Fuit illud plane singulare, quod nobilis quidam miles in hæresi a teneris innutritus, atque adeo Catholicis infensissimus, cum ex itinere Turnonum forte diuisisset, vidissetque è Sodalitio B. Virginis pium adolescentem in nosocomio de Sodalium more agrotis ministrantem, ita pio eius exemplo de repente commotus est, ut primum aliquo nostræ fidei desiderio, mox etiam de abiurando errore cogitatione suscepta, adiuerit ad adolescentem, falsusque se se hæcenus prauis hæreticorum dogmatibus adhæsisse, permotum autem illo charitatis exemplo de profitenda religione Catholica consilium suscepisse; si sibi de quibusdam liquidius constet, non recusaturum quin se ad nostros transferret. Monet adolescens, si is Collegium inire non grauent, sperare se eum compotem voti futurum. Dicitur dies crastina, qua se nostris sistat. Interea nocte proxima impelli se B. Virginis monitu ad Christi castra persentiscit in somnis, ab eadem etiam non leuia aduersus errores suos argumentorum momenta proponi, quæ postea communicata cum nostris, firma, validaque iudicata sint. Postridie Collegium ab adolescente perductus, hæresim eiurat, librum precarium hæreticum, & syngrapham, multis ministrorum testimonijs obligatam tradit. Insequenti die totius vitæ maculis per confessionem elutis, sumptoque sanctissima Eucharistiæ sacramento, eo consilio ad suos rediit, ut à prauo Calvinistarum errore, ad nostram fidem traduceret si posset.

ALIVS proximam urbem inhabitans, audiuerat de Sodalium pietate permulta; is filium agrum



& adfixū iam multos dies lectulo, Sodalium precibus commendat, votumque nuncupat, si æger pristina reddatur valetudini, eius ex cera effigiem donum se B. Virgini daturum. Incumbunt Sodales in preces, nec sunt irritæ, meliuscule incipit ex eo habere, deploratæ alioquin valetudinis adolescens, mox etiam pristina redditur sanitati. Missum postea ad Sodalitatem, pro recuperata valetudine votum simulachrum. Excursum est in vicinos tractus maximo fructu. Montilium vrbs est, præcipuis quidem Delphinatus vrbibus adnumerata, sed Caluinismo tertia ex parte contaminata. Illic Sacerdote nostro per aduentum concionante, Catholici, tametsi inopia æreque alieno admodū pressi, maius templum superioribus annis instauratum, ad fastigium vt perducerent suasi. Iuenerunt otiosæ procuratus Ludimagister, & probus & Sacerdos. Discordes, mutua contumeliarum, iniuriarumque acceptarum obliteratione, ad concordiam adducti circiter quatuor & viginti. In his eximia, duorum coniugum Zelotipia laborantur; aliorum item de diuortio cogitantium etiam reconciliatio.

ALTERA vrbs Turnono finitima, mutuis odiorum flammis accensa, atque adeò discissa in factiones duas, nostri Sacerdotis solertia ad pristinam pacem reuocata. Alij pariter locis alijs non pauci, illa discordiarum pernicie ad internecionē vsque laborantes sanati, sedatique. Composita cuiusdā è præcipua nobilitate viri melioribus moribus familia, atque in tantam vitæ temperantiam traducta, vt statutis hebdomadæ diebus, & familiarum capita, & seruorū reliqua turba consuerint & frequentissimè Eucharistiæ pabulo animos refi-

cere, atque alia id genus pietatis officia sanctissimi obire. Matrōna nobilis eaque pregnans admodum timens ne sicut alias, in vitæ discrimen veniret, vt primum nostro Sacerdoti piè confessa est; derepente, præter expectationem, non sine ipsius & aliorum admiratione, vterō leuata est. Deus opera pecunijs vicatim colligendis, vt ædes sacre ab Hagiomachis labefactaræ, antiquum tenerent splendorem, instaurarentur euerfæ: In alijs sanctissimo Sacramento altare excitaretur.

QVIDAM conscientiæ stimulis ita exagitatus, vt omnem propè spem consequendæ veniæ deponeret, & de repetendis hæreticorum castris, quæ deseruisset non ita pridem, iam cogitaret, adit ad Sacerdotem nostrum, pia monente ac impellente femina: totius vitæ confessionem instituit, tanto gemitu fletuque, vt viribus exhaustum, simul & vox, & Spiritus deficerent, ad affectum iam opus conficiendum. Quare interpellata ac dilata in posterum diem confessio; vt illuxit, redit, sed inquieto, vt ante, ac perturbato animo, scelerum conscientia urgente semper ac stimulante, à qua nec vllam partem noctis tranquillam elicuerat. Instaurat confessionem, vi lachrymarum abruptam pridem, pari sensu, sed maioribus animis, absoluit tandem; qua peracta ritè, saluari quodam in suum scelus odio, egregio in Deum amore succensus, votum castitatis nuncupat. Mirum dictu, Confessionem, votumque pariter tanta conscientia securitas, ac animi lux est subsecuta, vt pristina penitus caligine mentis discussa, nitidissimus dies eius animo affulisse videretur.

QVATVOR & viginti ab hæresi ad fidem Catho-

atholicam traducti. In his faber murarius, à quo sui vici templum dirutum fuerat, nunc Catholicus atque sceleris pœnitundine ductus, suis sumptibus instaurat. Adolefcens in errore pertinax, eadem fortè domo cum Sacerdote nostro, ac cubiculo aliquot dies commoratus, eius exemplo, ac pietate sola impulsus hæresim abiuravit. Orthodoxi plerique nutantes, in fide confirmati. Ministri hæretici, quem eruditionis, & facundiæ nomine plerique omnes magni faciebant, prodita & confutata est ignorantia. Cùm vnus è nostris illum tribus fermè horis coram Catholicis, & Calvinistis agitasset, his pudore perfusus, illis gaudio triumphantibus, eò sciolum adduxit, vt sæpè pugnantia loqueretur, detrectaret certamen, subterfugia quaeritaret, ineptissimè responderet, numquã sibi constaret, sapius hæreret, & obmutesceret. Ita è re nostra fore visum est iuueni proteruo, & umbratilem quandam Philosophi, ac Theologi speciem ementito, os obstruere, vt auditores sui magistrelli errores, ineptias, nugasque canoras, ac vitia agnoscerent, atque adeo ab eo vehementer abalienarentur.

## COLLEGIUM CAMBERIENSE.

COLLEGIUM Camberienfe hoc anno, aluit Socios septem supra viginti, Sacerdotes octo, interdum plures, reliquos partim Præceptores, partim Coadiutores. In templo ingens confitentium, communicantiumque numerus; sacra supellex aucta, & ad templi ornamentum accessio facta.

eta non mediocris. Collegij noui ædificatio super  
 prioribus annis inchoata in dies procedit. Quin-  
 que classibus Rhetoricæ, Humanitatis, & Gram-  
 maticæ, addita est hoc anno classis Philosophiæ.  
 Quidam inductus, vt concubinam sibi matrimo-  
 nio copularet, quæ concubinitus tempore ðe-  
 mone miserandum in modum agitabatur; Ce-  
 terum ex quo nupta est, ne minimam quidem  
 infesto spiritu molestiam perpeffa est. Latoni qui  
 in nouo Collegio extruendo laborant, nostrorum  
 hortatu, in Sanctorum quatuor Coronatorum  
 honorem restaurarunt Sodalitatem, à quadragi-  
 ta iam annis collapsam. Quam ob rem nono No-  
 uembris solemnem supplicationem instituerunt.  
 Mendicus quidam senex & claudus vitæ inculpa-  
 tæ, sæpius apud nos cõfitetur, & quamuis ostentat  
 victum quærat, nihilominus ieiunat, eo potissi-  
 mum fine, vt lupi qui vicinorum pueros sæpe in-  
 uadunt, nullam in suos potestatem habeant; non  
 irritum votum & ieiunium, ex Confessarij con-  
 silio susceptum: etenim experientia didicit filios  
 suos luporum rabiem euasisse, qui aliorum pueros  
 non pepercerunt. Mulier quam partim domesti-  
 ca onera, partim effusa mariti, alioqui boni, pro-  
 digalitas in desperationem adduxit, in vicinum  
 lacum se præcipitem ferebat: Ecce vir Religio-  
 sus, quem illa de nostris fuisse putauit, ipsam  
 tam nefando scelere deterruit, iussitque vt Cam-  
 berium ad nostros se conferret, quibus verum  
 cum illi magnam animi lætitiã attulisset, ab-  
 scessit.

A D O L E S C E N S Pharmacopola in febrim pe-  
 riculosam incidit, nullaque mora interposita vi-  
 cè nostris peccata confessus, sacram Synaxin perce-  
 pit.

pit, Mirum dictu, percepta sacra communione vires atque animum resumpsit, quod non obscure facies ipsa declaravit; tandem post aliquot dies planè conualuit. Virgo morbo epileptico correpta vouit religionem, ab eo tempore numquam in morbum incidit. Geneua Camberium venit adolescens à matre missus, vt fratrem iuniorem ad fidem conuersum à proposito auocaret: eum frater ad Collegium nostrum perduxit. Cum vno è Patribus egit, qui eum blandè affatus, tandem vt de sua conuersione serio cogitaret, obsecrauit. Ille vt erat obstinatori animo, ne latum quidem vnguem ab hæresi discedere se velle respondit. Non ita multò post Geneuam repetiuit, in itinere incidit in Sacerdotem Gebennensem aliquot ante annos conuersum: hic iam Dei digito percussum illum sentiens, nullum non lapidem mouit, vt eum Christo lucrifaceret, neque irritò conatu. Nam inde ad concionatorem Catholicum perrexit, & de rebus ad religionem nostram spectantibus, ad quatuor horas cum eodem egit. A concionatore Catholico ad Reuerendissimum D. Episcopum Gebennensem, cum litteris commendatitijs missus, & ab eo ad fidei nostræ mysteria informatus, hæresim abiurauit, statimque Camberium ad nos venit, nihil magis in votis habens, quam vt in Patrum Cappuccinorum ordinem admittatur. Huius frater annos quatuordecim natus, cum in Germania moraretur, visis Catholicorum templis, ad Catholicam religionem animum adiecit. Geneuam reuersus, à nebulone quodam apud Patrem delatus est, quod ei insidias moliretur. Pater cum calumniæ fidem adhibuisset, eum in publicæ reorum custodia ad septem dies haberi curauit.

Septimo die puer tum publicò carcere, tum vrbe Gebennensi egressus, ad Reuerendissimum D. Episcopum Gebennensem aufugit, ab illo ad nostros, qui eum Christianæ fidei rudimenta docuerunt, tandemque ab hæresi absoluerunt.

SODALIVM, qui Deiparæ Virgini nomen dederunt, enituit hoc anno pietas, vnius maxime, cui cùm celerior virtutis quàm annorum curus esset, immatura ætate maturus cœlo decessit. Exhaustis penè morbo viribus cùm inibi esset, vt cœlesti pabulo reficeretur, è lectulo in terram venerabundus se abiecit, & maximo cùm pietatis sensu diuina obijt mysteria. Cùm acrioribus doloris morsibus premeretur, damnata ope humana, ad Beatæ Virginis, quam peculiari cultu prosequabatur, auxilium, se conuertit, iussitque sibi pileum nocturnum auferri, nefas esse affirmans eam operato capite appellare. Mox in suauissimas effusus preces, Tuum, inquit, ô Virgo Beatissima auxilium laboranti diutius deberi non potest, cùm me totum permiserim, tu me susceperis, vt quasi tabellis obsignatis tecum agere possim. Equidem depositam meam crederem salutem, nisi me tibi addixissem. Sub hæc affirmavit sibi fauces quodammodo à dæmone obstrui, ne in laudes Dei matris erumperet: ea re crucem appensam rotario applicuit ori, maximamque Virginis esse potestatem affirmavit. Sibi in animo fuisse dixit Religioni nomen dare, nihilque optatius contingere potuisse, quàm vt martyrium pro Christi nomine & numine subiret. Inde crucem pectori admolet Iesumque inclamans, ad eum, vt credere par est, emigravit. Reliquit in mandatis vt suffragia menstrua Sodalitatis sibi mortuo, collo appende-

ren.

rentur, sicque terræ mandaretur. Atque hæc quidem in vrbe, illa verò foris, ab ijs qui in missionibus concionandi munus obierunt.

ALIENÆ pecuniæ per fraudem partæ, summa non parua ipso concionatore præfente restituta. Supplicationes diuersis temporibus institutæ, quæ magnam pietatem præ se ferebant: præfertim illa, quæ die iouis hebdomadæ sanctæ habita sub noctem fuit in honorem augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, præeunte ingenti agmine puellarum in albis, subsequente turba vtriusque sexus, & singulis tam viris, quam mulieribus, candelas cereas gestantibus, quæ quidem supplicandi ratio hoc primum anno in parœciam introducta, deinceps quotannis ad perpetuam rei memoriam celebrabitur. Alearum ludus, qui vsque ad diem veneris hebdomadæ sanctæ, palam in plateis exerceri solitus erat, hoc Quadragesimali tempore sublatus est. Pellices tres quæ se prostituerant, publica Magistratus autoritate procul à parœciæ finibus eiectæ. Quidam non ignobilis concubinam, qua totos quatuordecim annos abutebatur, ira vt multos ex ea liberos procrearit, audita concione duxit vxorem, reluctantibus fratre, filio legitimo natu maximo, & alijs, qui infamiæ notam toti familiæ inurendam, impedimenti loco prætexebant.

## COLLEGIUM ANICIENSE.

ALUIT hoc anno Aniciense Collegium socios octo & viginti, in his Patres quatuordecim

decim, è quibus duo Præceptores; Magistri sacris non initiati septem, totidem Coadiutores temporales. Quatuor ex hoc Collegio ad Societatem missi; ad alias religiosas familias duo; omnes à Sodalitij B. Virginis profecti, præter vnum, qui Societate est ingressus, vt coadiutor esset temporalis.

RELIGIOSÆ familiæ, quæ sunt Anicij, nunquam erga nostras propensiores: nunquam coniunctiores cū Societate fuerunt. Nullum est cenobium in vrbe, quod aliquot de suis ad nostras scholas non mittat, quod à Collegio condico non fuerat vsus. Auxit hanc concordiam, & bonam Societatis, cum religiosis ordinibus optimè consentientis famã, demissionis & prudentiæ religiosæ specimẽ, editum à nostris in Carmelitarum Patrũ Prouinciali conuentu; qui Anicij hoc anno est habitus. Cum enim Patres illi de more theses agtandas proposuissent, & nostri ad disputationes inuitati, cū reliquatũ familiarum hominibus conuenissent, orta est initio disputationũ, inter Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, & reliquos religiosos contentio de prerogatiua disputandi: & cum quilibet sibi primas vindicare contenderet, nostri hanc præcedentiẽ contentionem contempserunt, vt cum post quorundam Doctorum Sorbonensium disputationem Reuerendissimus Episcopus, nec nõ disputationum moderator, nostros ad disputandũ inuitasset, ipsi rogauerint postremo loco disputare. Quæ modestia tanto gratior, & mirabilior spectatoribus est visa, quo postea & subtilitatem, & firmitatem argumentorum, quæ proposuerunt nostri, perspexerunt. Nec in eo ceteri nostri spectatores tantum, disputatoresque fuerunt, sed pacis & concordie inter Religiosas familias

aucto-



auctores, & sequestri; cum enim, vt solet fieri, ardore disputationis incalescente, inter Carmelitas, & Dominicanos Patres grauior contentio orta esset, & iam res ad asperiora quædã verba, & contumelias deuenisset: Pater noster & grauitate, & prudentia se rixantibus interposuit, & vtriusque partis sententiã conciliauit, vt omnes illi acquiescerent; neque improbata disputantis argumenta, nec præsentis authoribus imminuta videretur. Quæ res tam iucunda spectatoribus accidit, vt in egressu Senator quidam contenta voce dixerit, Patres Iesuitas quocumque irent, adducere concordiam. Visum præterea est P. Rectori, ad firmandã inter religiosos illos concordia, primarios vtriusque familiæ Patres, ad prandium inuitare; ad quod cum inuitati conuenissent, tantum illis nostrorum modestia, Societatis frugalitas, & mundities admirationem excitauit, vt exacto prandio, duo præcipui ex vtraque familia Patres, leniter apprehensa Rectoris manu, infusurratint ad aurẽ, Videmus in vobis, Pater, tritum illud ex sacris literis confirmari; Erunt nouissimi primi, nos iam consenuimus, neque in cœnobijs nostris tantæ Modestix, Ordinis, & Grauitatis religiosæ spectaculum possemus exhibere.

CONFESSIO NV M, quæ semper in hoc Collegio frequentes fuere, celebritatem hoc anno auxit Iubilei publicatio; multi, & in his viri nobiles, & primarij, totius vitæ maculas apud nos generali confessione expiarunt: Hæretici nouem nostrorum opera, à Calviniana superstitione ad fidei Catholicæ integritatem transierunt: præter hos vnus, qui lethali accepto vulnere B. Virgini vouerat, si illius precibus conualesceret, se fidẽ Catholicam

am-

amplexurum, voti compos factus; voluit à nostris Patribus fidei rebus informari: à quibus rectè instructus, fidem, quam ante voto desponderat, cognita nostra religionis veritate, voluntate maxima est amplexus. Vtriusque Sodalitij fructus, Sodalium quorundam morte maximè constitit; vnus ex Annunciatae Virginis Sodalibus, cum lethali decumberet morbo, inter vltimos dolores, sacros hymnos tranquillissimè præcinebat; noctè etiam, quæ præcessit obitum, totam exegit in hymnis, ceterorum etiam, qui aderant, hortator, vt secum hymnorum modulatione laudarent Deum; atque ita animam in cantibus pijs efflauit lætus, omnibus, qui aderant, mirantibus, tantam in adolescente annorum octodecim ad tam formidabile momentum alacritatem. Alius ex eodem Sodalitio, in lethali morbo Sodalibus inuisentibus, identidem illud Apostoli reperebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo, qui etiam paulo antequam contraheret morbum, quasi futuræ mortis præcursus, in sermone de humanarum rerum contemptu, cum socijs instituto, dixerat. Heu quam mihi sordent terrestria! quam cuperem, vt me Deus ex hoc corporis ergastulo, ad vitæ futuræ libertatem euocaret.

ILLVSTRIOR fuit vnus è Sodalibus Parthenicis congregationis ciuium obitus, & ciuium frequentia, & viri nobilitate. Is erat Baro quidam, fortitudinis militaris opinione, & rebus gestis clarus, sed virtutis, & animæ clarior ornamentis: ab adolescentia enim martyrij cupiditate flagrauerat, & ea in inimicos fuerat voluntate, vt paucis ante morbum diebus, cuidam è familiaribus data occasione dixerit, se præceptum Apostoli de temperanda

randa iracundia mordicus tenuisse; neque vn-  
 quam solem super iracundiam suam cecidisse, quæ  
 moderatio rari est exempli, in homine præsertim  
 bellicoso. Hic cum in Castro vrbi finitimo, in gra-  
 uem incidisset morbum, voluit statim Anitium  
 deportati, conuocatisque Assumptæ Virginis So-  
 dalibus, se illorum precibus enixè commendauit,  
 & de felicitate cæli, & contemptu humanarum re-  
 rum cum ipsis feruentissimè est locutus: Manabant  
 interim è circumstantium oculis vbertim lacrymæ,  
 cum viderent virtutem tantam immaturo fato, in  
 ipso ætatis flore extingui; quod cum animaduer-  
 tisset æger, eos comiter increpans, Quid, inquit, si-  
 bi volunt fletus? quid istæ eiulantium voces? sic-  
 cine mihi mortem in adeo Catholica vrbe, & tam  
 pio cœtu obitam, quã ego in summis bonis pono,  
 inuidetis? Paulo post cum aliquamdiu in vnam  
 partem defixos obtutus tenuisset, in has voces eru-  
 pit indignabundus: Quid me dæmon aggredieris?  
 quid scelesta ingeris consilia? quid suades, vt in  
 innocentem illam puellam (aderat forte puella  
 anhorum quindecim) deprecem morbum? ego ve-  
 rò, nõ tantum inualetudinem istam à Deo immis-  
 sam mihi, æquo animo perferam, sed etiam multo  
 grauiora deberi peccatis meis duco: Procul hinc  
 sceleste dæmon, procul hinc, te diui Martini abi-  
 gam verbis: quid adstas cruenta bestia? nihil in me  
 funesti reperies. Hæc locutus, psalmum quinqu-  
 gesimum, & preces quasdam Virgini Deiparæ re-  
 citauit: postea solito serenior factus, En ego in-  
 quit, te video pulcherrima Virgo, ô verè benigna  
 parens, quæ præsto semper es tuis in calamitate:  
 nec plura post has voces, quam orationem, In ma-  
 nus tuas, locutus, emisit animam, Deiparam Vir-  
 ginem

ginem, vt credimus, præeuntem subsecutus.

E A D E M Virgo parens, quæ huic suo Sodali ad mortem salubriter obeundam adfuerat, adfuit alteri è Sodalibus in pari discrimine, ad vitam diutius retinendam: desperata fuerat à medicis illius valetudo, cum ille in hac vitæ desperatione, spem in Deum, & Virginẽ vehementius excitans, vouit, si præfenti liberaretur morte, se vitã Dei obsequijs in religione impensurum: accepit Deus votum, & sanitatem corporis restituit, qua firma nunc vitur, votum absolutis studijs, redditurus. Fuit adolescenti cuidam de nostris Scholasticis, pietas erga Beatum Stanislauum Societatis nostræ salutaris: laborabat ille cholico pathymate, cum audito B. Stanislai nomine, & miraculis, excitata est illi spes, fore vt in B. Stanislai præsidio reperiret doloris acutissimi leuamentum; nec vana spes fuit: cum Deo in honorem B. Stanislai certas preces, & ieiunia vouisset, penitus morbi diuturni molestia fuit liberatus. Eodem propè tempore mulier quaedam, cuius salus à medicis fuerat desperata, cum Patrem quendam de nostris audisset de eiusdem B. Stanislai miraculis disserentem, inuocato Sancto supplex vouit, si illius precibus conualesceret, se singulis mensibus communicaturam; sensit nuncupato voto non dubiam Sancti opem, & valetudinem, præter omnium medicorum, naturales tantum causas spectantium, opinionem recuperavit.

SCHOLASTICORVM nostrorum numerus maior fuit quam superioribus annis contra omnium expectationem; communis enim erat opinio, propter Collegiorum aliorum restitutionem imminuendum: inter illos, multi Religiosarum fami-

familiarum, multi collegiorum Cathedralium alumni: ex vno certe Priuatensium Canonorum Collegio, (quod est tota Aluernia celeberrimum,) decem Comites, (hoc dignitatis titulo Canonici illius Collegij insigniuntur) in nostris versantur scholis. Tempore Iubilei bis scholastici nostri in albis vestibus ad supplicationem, mysteria passionis præferentes processerunt: fuit id spectaculum, & numero (nongenti conuenerant) & modestia adolescentum, cuius mirabile & iucundum: referebant nullius memoria, quidquam in ciuitate visum, quod maiorem præferret speciem pietatis. Ecclesiæ Collegij nostri fundamenta, superiori anno iaci cœpta, perducta ferè sunt ad fastigium: propediem Deo iuuante absoluenda. Adiuta est in structuræ sumptibus, nostrâ tenuitas, varijs piorum hominum eleemosynis.

## COLLEGIUM BITERRENSE.

**V**NVM & viginti hoc Collegium aluit, decem Sacerdotes, è quibus Magistri tres, quinque Magistros classium humaniorum, & rei temporariæ ministros sex. Hos agri Dominici colonos inertes esse non est passum neque Catholicorum opimū solum, neque hæreticorum spinosum, sed diuersa ratione vtrumque exercuit. Vltèrius etiã eorū excurrit industria, quã Monspelien-sibus in Christo iuuandis, ita duos annos integros vtiliter collocavit Pater Richardus Corberanus, concionatoris focius, & strenuus adiutor, vt eius mors, quæ illum impigre apud Monspelien-ses labo-

labo-

laborantem intercepti, toti civitati (erat enim  
 carus non modo Catholicis, sed etiam hæreticis)  
 per quã luctuosa acciderit. Et verò tanta erat gra-  
 tia prudentiaque tractandi cū omni hominũ ge-  
 nere, vt mire suo congressu omnes deuinciret, tan-  
 ta etiã charitate, vt ad Orthodoxos confirmandos,  
 & ad aberrantes ad rectũ veritatis iter traducen-  
 dos, indefessam ac perutilẽ operã ipsum posuisset.  
 tunc maximẽ testata sit ciuitas, cū lethaliter de-  
 cumbente, communi quodam sensu indoluere, &  
 mortuo mœruerit. Eius funus non modo turba  
 ciuium, sed & Reuerendissimus Episcopus & Cle-  
 rus omnis, nec non triplex illa Monspeliensis co-  
 rta Senatorum, Quæstorum, Duumvirorumque  
 vectigalium, cohonestauit.

## R E S I D E N T I A A L B E N A C E N S I S.

**V**ISVM est Superioribus hinc Magistros, &  
 Sacerdotes duos abducere, vt ad instauranda  
 deferta Collegia dimitterentur. Non ideo tamen  
 curã Scholarum penitus abijci visum, instancibus  
 Catholicis maximẽque mæcenatibus nostris: qui  
 pro duobus, quatuor sæculares Magistros ascie-  
 nerunt, vnde auctus est auditorum numerus, effe-  
 ctumque vt tum Catholicorum, tũ etiam hæreti-  
 corum liberi, qui scriptionis & arithmeticæ causã  
 Ludimagistrum hæreticũ adibant, ab eius schola,  
 ad Catholicos præceptores reducerentur, vt ab ijs  
 non minus pietate, quàm literis imbuerentur.

**A**VCTVS est in vrbe hæresi valdè inquinata,  
 numerus eorum, qui præcipuis festiuitatibus anni,  
 Sacra-

Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, obire solent. Ferijs autem Paschalibus, tam multi è pagis & proximis vrbibus confluxerunt, vt tres qui illis dabant operam pænè obruerentur, qui tamen certatim à viris nobilibus expetebantur, quod rari sint admodum, illis in locis, Sacerdotes externi, quibus sese audeant aperire.

SEX vt minimum hæretici Ecclesiæ Catholicæ redditi sunt, innumerabiles vero in fide nutantes confirmati. Ex illis tres è primoribus vrbis, quorum vnus iuuenis egregius, cui per amplum est patrimonium à Patre relictum. Sed statim atque impia Caluini castra deseruit, à Patruo hæretico pertinaci & derelictus, & paternæ domo eiectus est, quem tamen Mæcenas noster humanissime in suum famulatum suafu nostrorum excepit.

ALTER iuuenis item præclaris naturæ dotibus insignis, & eo nomine Ministro & sectæ vniuersæ Caluini valdè charus, & iuuentutis vrbanae Capitaneus, cum antea à nostrorum congressu vehementer abhorreret, vnus tamen Sacerdotis suauitate sensim illectus, & Catechesi instructus egregiè, Caluinum incredibili dolore suorum abiecit. Quem illi contumelijs primùm, deinde etiam gladijs districtis non semel aggressi sunt, è quorum tamen manibus se, fortiter tuendo, eripuit: qui cum fide ita mores mutauit in melius, vix vt idem esse videatur.

SUPERERAT in eadem familia Pater, qui in hæresi consenescebat, nam eius, quem dixi, germani duo non ita pridem in Gallia Cæltica rectam fidem amplexi fuerant. Dolebant nostri probis alioquin moribus senem, & prudentia minimè vulgari virum, nec leuiter litteris tinctum, iri perditum:

Q q

ditum: frustra cum eo sæpissime egerant, veritatem vt agnosceret, idem oprabant & vrgebant viri primarij ac nobiles, quibus erat admodum familiaris; placuit tandem creatori Deo, hominem ad se trahere. Nam pridie cineralium quo die insani plerique baccho litant, venit ad nos, publice hæresim execratus est, deinde vbi se preparasset, pænitentia & Eucharistia Sacramentū rite obiuit. Vnde nescias plus ne ex eius conversione Catholici omnes Viuarienses voluptatis hæserint, an hæretici doloris. Credibile est preces B. P. Iacobi Salesij plurimū illi profuisse, nā illi fuerat aliquando familiaris, & se primo Februarij die Catholicam amplexus est, pro qua ille eodem die cum socio, gloriosum in ea vrbe martyrium obtinuit. Speramus tanto cum in retinenda colendaque fide constantiorem futurum, quanto fuit lentior ad eam amplectendam.

M V L T V M fuit laborandum nostris, vt Catholicis, qui in domibus hæreticis decumbebant, Sacramenta admini trarentur, & vt qui Catholicè vita migrabant, in cæmiterium Catholicorum efferrentur.



P R O V I N C I A  
G E R M A N I Æ S V P E -  
R I O R I S.

F V E R E hoc anno in ista Prouincia numerati Socij decem & octo supra quadringentos, in quatuordecim sedes distributi; puta Dominum Profel-